DISPVTATIO LOGICA IN CAESAREI COLLEGII SOC: IESV ACADEMIA PRAGENSI.

AD NOVEMB: INSTITVENDA.

PRÆSIDE R. P. PAVLO VINCENTIO PILSNENSI, PHILosophiæ Magiſtro & ordinario in eadem Academia Profeſſore.

DEFENDENTIBVS.

NOBILIBVS INGENVIS ET ERVDITIS PHILOSOPHIAE CANDIDATIS.

MARTINO PANSORIO S. P. Alumno.
AVGVSTINO VIDERINO ab Ottersbach.
GEORGIO LAVRENTIO Pulcherio Pontano.

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO D. D. CAESARI SPECIAno, Dei & Apostolicæ Sedis Gratia Episcopo Cremonensi, S. D. N. & Sedis Apostolicæ ad Sacram Cæsaream Maiestatem, cum potestate Legati de Latere Nuntio.



POstquam Diuina freti clementia, Illustriss: & Reuerendiss: Præsul, superatis, immēsis totius Logicæ difficultatum fluctibus, ad portum desideratum appulimus, res iure optimo à nobis exigere videbatur vt generalem quādam disputationem in puluere academico institueremus, assertionesq; vniuersæ Logicæ, sedulò discutiendas proponeremus. Et licet fuerint hactenus more veteri Academiarum, tum octauo quoq; die in palæstra Philosophiæ propositæ, tum etiam singulis mensibus conclusiones in Aula Academiæ publicè disputatæ; tamen vt quæ singula fusiùs & locupletius discussa fuêre, ea rursus quasi in quandam tabellam limatiùs congesta omnibus paterent vniuersa, meritò de ijs communis inquisitio instituenda videbatur. plurimum enim confert ad rerum multiplicem & variam cognitionem comparandam frequens cuiusq; di-

sciplinæ

sciplinæ inculcatio. Atq; cum doctissimorum quorumuis Philosophorum vnanimi consensu Logicam nobilissimam & vtilissimam iuxtà Philosophiæ partem, non modò fundamentum & initium, sed etiam matrem & procreatricem reliquarũ omnium Disciplinarum esse in aperto positum sit; in id profectò velis remisq; omnibus contendendum ijs est, in quorum pectoribus altiùs Philosophiæ amor sedem suam fixit, ne quem semel Logicæ habitũ labore & industria consequuti sunt, hũc temporis longinquitate sine crebris exercitijs obliterent, neu fundamento malè collocato cæteræ Sciẽtiæ grauem aliquam ruinam experiantur. Cùm autem more recepto, nostræ huic cõcertationi Patronum & quasi Aganotheten inquireremus, nemo te (Præsul Illustrissime) dignitate, & bonarum literarum amore prior nostræ mentis obtutibus sese offerebat, cui vt studiorum fautori & Mœcenati liberalissimo laborum nostrorum fructum, quamuis perexiguum, lubẽtes consecraremus; spe maxima erecti te pro singulari, qua præditus es humanitate æquo animo laturum, quod tam exiguo labori celeberrimi tui Nominis titulus præluceat.

DISPVTATIO DIALECTICA.

THESIS PRIMA.

*Ialectica*, quæ à διαλεγέσθαι (quod eſt differere) deducitur, *differēdi ſcientia eſt, practica actiua dirigens intellectus operationes*, quamobrem etiam *Rationalis* dicta eſt, & non ab ente rationis. D. Tho. 1. peri: lect: 1. & 1. poſt. lect. 1.

DE VNIVERSALIBVS.

2. Vniuerſale eſt id, *quod de pluribus pluraliter, & non æquiuocè prædicatur*, non quod actu de pluribus prædicari, vel in pluribus eſſe debeat, ſed quòd in multis eſſe, ac de ijs prædicari poſsit.

3. Nec tamen ſola vox eſt, aut conceptus, aut ens à ratione confictum; ſed *res aliqua*, non quidem in ſingularibus ante *Intellectus operationem* exiſtens, ſed *per eam abſtracta, & ſecunda intentione (*vt dicitur*) per comparationem, aut comparatiuam notitiam affecta*.

4. Quinque autem tantùm ſunt Vniuerſalia, *Genus, Species, Differentia, Proprium & Accidens* : Vnde totidem & eadem (quantum ad res cōmunes) orta ſunt *Prædicabilia* Nam *eſſentialiter* prædicantur tria, prima quidem duo in quæſtione *Quid eſt*, tertium in quæſtione *Quale quid* : *Accidentaliter* vero prædicantur reſidua duo, hoc quidem *contingenter*, illud vero *neceſſariò*.

5. Sed ſi Nouum illud, quod DEVS in plenitudine temporis creauit ſuper terram, aſpiciamus; videbimus, non quidem alia *Vniuerſalia*, ſed ex ijſdem rebus, alia *Prædicabilia*

proue-

prouenisse. Nam *Homo, Animal, Rationale,* cæteraq;, *Substantiæ, Genera & Differentiæ, de Verbo Diuino nec essentialiter, nec accidentaliter,* sed *Substantialiter (*licet *contingenter)* prædicantur: non in quæstione *quid* vel *quale quid*; sed in quæstione *quis* vel *qualis quis.*

6, *Propria* quoq; & *communia accidentia*, quæ teste Arist: r. post c. 18. per se de homine prædicantur, quòd absq; medio illi conueniant; de Verbo Diuino, cui propter Naturam humanam conueniunt, non nisi *per accidens* dicuntur.

DE PRAEDICAMENTIS.

7. *Prædicamentum est alicuius generis Summi realis, & eorum, quæ sub ipso continentur, naturalis dispositio.* Decem autem sunt omnino, nec pauciora *rerum Summa genera*; *Substantiæ* vnum, & nouem *Accidentis.* Ad quorum multiplicationem, etsi quædam *realiter*, quædam *formaliter* inter se distinguantur: nec *realis* tamen nec *formalis* distinctio esset necessaria, si eam ex natura sua non adferrent; sed sola *modalis* sufficeret, quæ ex respectu ad *primam substantiam* sumitur, quatenus hoc, vel illo modo accidentia illi insunt, vel de eadem prædicantur.

8. Quare vt nihil in his prædicamentis collocatur, quod non sit *ens, reale, per se, finitum, completum, incomplexum, vniuocum*: ita nulla res est, quantumuis imperfecta, etiam quæ ab ipsa ratione fingitur, quæ ad horum aliquod Genus aliquo modo non reducatur.

9. Solum DEVM *Opt: Max:* qui ob sui infinitatem nullius prædicamenti terminis claudi potest, nec per se in vllo prædicamento ponimus, nec ad aliquod reducimus. *Christum autem Dominum*, sicut quà DEVS est, à prædicamentis excludimus; ita quatenus est *Homo*, in *Substantiæ* prædicamento *per se* collocamus: de ipso enim hac ratione, *Homo, Animal, Viuens, Corpus, Substantia*, verissimè & *essentialiter* in quæstione *Quid est*, vt de Cæteris hominibus prædicantur.

D. Tho.

D. Tho 3. p. q. 2. a. 6. in arg. Sed contra, ex Alex. Papa.

10 Omnia porrò, quæ in *Subſtantiæ* Prædicamento *per ſe* collocantur, *concretis* nominibus efferuntur: quæ in *Accidentis* Prædicamentis, in abſtracto *Quantitatis* tamen, quòd de ſuis inferioribus, in abſtracto, & in concreto prædicetur, (nam linea v. g. & Quantitatis eſt & Quanta) peculiare eſt, vt in ea tam concreta, quam abſtracta collocentur.

DE MODALIBVS ENVNTIATIONIBVS.

11. Cum multa de Enuntiatione in genere, deq; multiplici eius diuiſione, ac varijs affectionibus ab Ariſt. in lib. Peri. & alijs tam antiquis, quàm modernis Dialecticis ſint tradita, quæ communiter in Scholis, cùm de Enuntiatione inſtituitur diſputatio, proponuntur: ea tantùm adferenda nunc exiſtimauimus, quæ de Modalibus enuntiationibus, ab iiſdem Dialecticis aſſeruntur, quod de eis rariùs diſputari ſoleat; & verò tradantur multa, quæ diligentiùs rem examinanti cum veritate pugnare videātur.

12. Ad quatuor igitur capita quæ de *Modalibus* enuntiationibus dici ſolent reuocabimus: *Æquipolentiam, Oppoſitionem, Conuerſionem, & qua ratione conficiendis Syllogiſmis ſeruire* poſſint; & in ſingulis prius, quid Ariſtoteles & alij Dialectici ſenſerint proponemus, deinde illorum doctrinæ defectus aliquos indicabimus, demum doctrinam ſolidiorem ſtatuemus. Rogamus autem benignum Lectorem, ne nobis, quaſi toti Antiquitati nos opponamus, priùs ſuccenſeat, quàm rationes, exemplaq;, quibus veluti digito veritatem oſtendimus, probè intellexerit. Speramus enim fore, vt quiſq; facilē deprehendat, non contradicendi animo, ſed veritatem è tenebris eruendi, hoc inſtitutum nos ſuſcepiſſe.

13. Et vt optima Methodo, ac ratione diſputatio tota inſtituatur. *Modalis enunciatio eſt oratio, quonam modo prædicatum ſubiecto inſit vel non inſit enuntians.* Quatuor verò ſunt Modi,

à qui-

à quibus Modales Enuntiationes nomen acceperunt: *Necesse, Possibile, Contingens, Impossibile*: iuxta quem modorum numerum, quatuor etiam Modalium enuntiationū genera constituuntur, vnum, de *Modo Necesse*, tria alia de *alijs tribus*.

14 In omni autem enuntiatione Modali, duo *subiecta* & *prædicata*, duo reperiuntur: *subiectum* vnum & *prædicatum principale*, totiùs enuntiationis; & alterum *minus principale* quod dicitur *subiectum & prædicatum Dicti*, (*est autem Dictum illa enuntiationis pars, in qua verbo infiniti modi aliquid alicui inesse significatur*) quod totum *Dictum* est *principale* totius enuntiationis Modalis *subiectum*; *Modus* verò ipse, *principale prædicatum*. Exemplum esto, *Necesse est omnem hominem esse animal.*

15 Deniq; toti disputationi præmittimus duo firmissima Aristotelis & Dialecticorum fundamenta. Primum *propositiones contradicentes, nec falsas nec veras simul esse posse*: *Contrarias etsi falsas, nunquam tamen veras*; *Subcontrarias veras quidem aliquando, nunquam falsas.* Secundum; *in legitima ac formali (vt dicitur) consequentia, nunquam, antecedente vero existente, consequens falsum colligi.* His igitur duobus pro tota disputatione iactis fundamentis, ad singula iam capita veniamus.

DE AEQVIPOLLENTIA MODALIVM.

16 Ad tradendum doctrinam de æquipollentia Modalium propositionum, præmittunt Dialectici, *Modos Necesse, & impossibile, esse vniuersales*; *Possibile, & Contingens, particulares, quòd si eis præponatur negatio, mutari quantitatem, vt ex Vniuersalibus fiant particulares, & ex particularibus vniuersales.* Quibus præmissis, hanc statuunt generalem regulam: *Si Modi eiusdem sint quantitatis, dictumq; in propositione Necesse contradicat dictis trium reliquarum Enuntiationum, omnes propositiones inter se æquipollere*, quod perspicuitatis causa ostendunt subiecta figura.

1.	2.
Necesse est Omnem esse.	*Necesse est Nullum esse.*

Non

Non possibile *Non contingens* *Impossibile*	*est aliquē non esse.*	*Non possibile* *Non contingens* *Impossibile*	*est aliquem esse.*
3.		4.	
Non necesse est Nullum esse.		*Non necesse est Omnem esse.*	
Possibile *Contingens* *Non impossibile*	*est aliquem esse.*	*Possibile* *Contingens* *Non impossibile*	*est aliquem non esse.*

17. Sed præmissi fundamenti Soliditas infrà videbitur. num: 27. Regulæ verò falsitas intelligitur ex hoc, quòd cùm æquipollentium ea sit lex, vt omnes veræ, aut omnes falsæ sint: seruata tamen hac Dialecticorum regula, inuenietur lex illa violata, vt in subiecto exemplo constat apertè.

1.

Necesse est Omne Animal esse hominem.
Non possibile est quoddam animal non esse homin.
Non Contingens est quod animal non esse hom.
Impossibile est quoddam animal non esse hominem.

2.

Non necesse est quoddam Animal esse hominem.
Possibile est Nullum Animal esse hominem.
Contingens est Nullum Animal esse hominem.
Non impossib. est Nullum Animal esse hominem.

Prima propositio prioris exempli falsa est, cùm tres reliquæ sint veræ, prima item posterioris exempli est vera, cùm tres reliquæ sint falsæ. Qua autem ratione æquipollentium lex inuiolata seruetur, inferiùs post oppositionem docebimus.

DE OPPOSITIONIBVS.

18 Ad assignandas oppositiones Modales statuunt Dialectici quinque regulas. Prima Reg. *Quæcunq; propositio Modalis aliquo genere oppositionis alteri opponitur, simul etiam opponitur eodem oppo-*

oppositionis genere omnibus illi æquipollentibus. Secũda, quod ad modos attinet; *in Contrarijs eos debere esse vniuersales; in subcontrarijs particulares; in contradicentibus, alterum vniuersalem, particularem alterum, secundum negationem oppositos.* Tertia, Quod ad dicta attinet, ad *Contradicentes omnium modorum, idem dictum requiri.* Quarta, *Ad Contrarias Subcontrarias, & Subalternas in modo Necesse, dicta debere esse contraria, vel contradicentia.* Quinta, *In alijs autem modis, ad eadem debere esse contradicentia, vel subcontraria: Nam si vel in modo Necesse Subcontraria dicta apponentur, vel in alijs contraria; facilè dari tum contrarias tum contradictorias simul veras quod subscripto ostendunt exemplo.*

Necesse est quoddam animal esse homi: Necesse est quoddã Anim: non esse hom.
Impossibile est Omne animal esse homi. Impossib est Nullum Animal esse hom.

Quæ secundum *modos* Contrariæ quidem sunt, sed quòd in *dictũ* regulam non seruant, Omnes sunt veræ.

19. Sed quàm veræ sint huiusmodi regulæ, videamus. Et quidem ex *prima regula*, duæ contradicentes & duæ subcontrariæ simul falsæ, in subscripta figura apparent.

1.	2.
Necesse est aliquem Equum esse homi.	*Necesse est Nullum Equum esse hom.*
Non coting: est Nullũ Equũ esse hom.	*Non cõting: est aliquẽ equum esse hom.*
3.	4.
Non necesse est nullũ equum esse hom:	*Non necesse est aliquẽ equum esse hom.*
Contingens est aliquem equũ esse hom.	*Contingens est Nullũ equum esse homi.*

Si enim singulorum numerorum propositiones inter se æquipolleant, vtramuis primi numeri cum secunda quarti conferas (qui numeri aliàs iuxta superiùs descriptam tabellam contradicentes sunt) vtramq; falsam deprehendes. Et quidem, de vtraq; primi numeri, id est apud omnes in confesso; de secunda verò quarti, id apertè docet Aristo: 1. prior. c. 16. quòd non *contingens* sit, sed *necessarium; nullum Equum esse hominem,* deinde vtrauis propositio tertij numeri cum secunda quarti collata (quæ subcontrariæ esse debent) est falsa cum illa.

20. Sed obijcient Dialectici: *Aristotelem,* cum de oppositionibus modalium agit, *vsurpare Contingens impropriè, scilicet pro*

non B Possi-

Possibile esse, ideoq; propositionem illam, Contingens est nullum Equum esse hominem, hic veram esse; primo verò Priorum, vbi eam falsam dixit, vsurpasse Contingens propriè. Sed aduertant, quæso, quid Arist: 2. peri. c. 3 in quo ex instituto agit de oppositionibus modalium, dicat: *Omne,* inquit, *quod est possibile diuidi, vel ambulare, & non ambulare & non diuidi possibile est.* Si igitur Aristoteles ad oppositiones modalium vsurpat Contingens pro Possibili; possibile autem apud ipsum est indifferēs ad vtrumuis, & Contingens certè eodem modo (quod est propriè) vsurpabit, ex quo propositionis illius falsitas apparet: imò si illa vera est, erit & vera hæc, *Contingens est Omnem Equum esse hominem,* conuertuntur enim huiusmodi propositiones, teste ipso Arist: 1. prior: c. 12 in oppositam qualitatem.

21. Sed in nodum fortè difficilem incidimus, nam idem Aristoteles ad proximè allegati cap: ita subdit: *Quoniam non omnis potestas susceptiua oppositorum est: ignis enim potest quidem vrere, sed falsum est quod possit non vrere.* Ex qua sententia non immeritò vrgere nos quispiam posset: *Si Contingens eodem modo hic accipiatur ab Aristotele, quo Possibile; Possibile autem, quoad determinatam hanc & necessariam potestatem, sequitur ipsum Necessarium, eodem iure secuturum & Contingens*: quare propositionem illam, *Contingens est nullum Equum esse Hominem,* hoc loco veram esse.

22. Sed non terremur specie implicati nodi; qui potest ex ipsius Aristotelis verbis, & mente dissolui, aut cum certè scindemus. Nam in primis non nostrum, sed Aristotelis est illud: *Possibile non similiter dici, sed æquiuocum esse,* quòd & significet id, quod actu est, quatenus tale est: (quod ipse Aristoteles vocat *immobile,* hoc est, quod, dum est, non potest non esse) & id, quod forsitan actu erit, vt *Possibile est ambulare, quoniam actu ambulabit.* (quam potestatem Aristoteles tantum tribuit *mobilibus*, hoc est ijs, quæ aliter se habere possunt.) Quæ significationes, cùm diuersæ omnino sint, nec nisi diuersis significatis accommodentur, in nomine tamen *Possibilis* conueniunt; nam & *Hominem esse Animal est Possibile, & hominem ambulare,* siue dum ambulat, (quo tempore

non

non potest non ambulare) siue dum adhuc non ambulat, (quia tamen fortè ambulabit, aut non ambulabit) possibile est. Quare inquit ipse Aristoteles, *Possibile non est verum simpliciter de Necessario dicere, sed tantum secundum alteram suæ significationis partem: quare quoniam partem* (hoc est Necesse) *Vniuersale* (hoc est Possibile) *sequitur, illud quod ex Necessitate est, consequetur Posse esse, Sed non omnino.*

23. Ex quibus satis apparet *Possibile* non secundum totam suæ significationis latitudinem, sed secundum vnam tantum partem *Necessario* conuenire; & ut hæc propositio: *Possibile est hominem esse animal*, vera sit, Possibile in eo solo sensu accipi, quo significat, quod reuera est, sed non esse non potest. alias propositio esset omnino falsa; nam cum potestas illa simul complectatur quod non potest non esse; & quod non esse potest: qui dicit posse hominem esse animal in tota illa latitudine, hæc duo dicit, *Non posse hominem non esse animal, & posse non esse animal*, quod manifestè est falsum.

24. Quod si *Possibile* non in ista latitudine sequitur *Necessarium*, nec *Contingens* in eadem latitudine sequetur. Superest igitur, vt sicut *Possibile* tunc solùm sequitur *Necessarium*; cum significat quod reuera est, sed non esse non potest, in eadem significatione *Contingens* sequi dicatur: hoc autem inconueniens esse, si Dialecticorum doctrina de Modalium Subalternatione incōcussa maneat, facilè ostenditur. Aiunt enim, Subalternantem esse vniuersalem; subalternatam particularem: at hæ duæ propositiones: *Necesse est Omnem hominem esse animal*; & *Contingens est omnem hominem esse animal*, quæ Subalternæ sunt iuxta Dialecticorum doctrinam, reuera tales non sunt, sed eædem planè, & æquè vniuersales: nam *Contingens* quando significat *non posse non esse*, idem est planè quod *Necesse*: cum ergo harum propositionum, & Modi & Dicta sint eadem, & ipsæ erunt eædem, non igitur subalternæ.

25. Et certè cùm apud Aristotelem 1. priorum c. 3. & 12. tribus modis accipiatur *Contingens*: pro *Necesse*, & pro *Nonne-*

 cessa

cesse non esse seu possibile; qui dicit *Aristotelem* dum agit de oppositionibus. *vsurpare contingens impropriè*, magis ipsum Aristotelem inuoluit; in hoc enim exemplo.

1.	2.
Necesse est Omnem hom: esse animal	*Necesse est aliquem hom: nō esse animal*
Non côting: est aliquē hom: nō esse ani.	*Non contmg est Omne hom: esse anim:*
3.	4.
Nonnecesse est aliquē hom: nō esse ani.	*Nonnecesse est Omnem hom: esse ani.*
Coutingens est Omnem hom esse ani.	*Contingens est aliquē hom: non esse ani:*

Si *Contingens* in tertio numero accipiatur pro *necessario*, nō est subalterna primę propositionis primi numeri, cùm vtriusq; sit idem omnino dictum: Si accipiatur pro *Nonnecesse*, erit contradictoria eiusdem primæ primi numeri; cùm eius *dictū* omnino sit idem cum prima numeri quarti, quæ illi est apertè contradictoria. Superest igitur, vt apud ipsum Aristotelem, *contingens* propriè vsurpetur.

26 Imo etsi illis annuamus, qui *Contingens* pro *Nonnecessario* vsurpari ab Aristotele dicunt, adhuc in propria significatione vsurpari intelligemus ex ipsius Aristotelis verbis 1 prior. c. 12. sic enim ait: *Quoniam quod est Contingens, non est necessarium; & quod non est necessarium, possibile est non esse, vt si contingat A. inesse B. continget & non inesse.* Quibus verbis apertè significat, contingens (etiam cum pro *Nonnecessario* accipitur) significare, *quod ad vtrumuis est indifferens*, quæ est propria vocis *Contingens* vsurpatio.

27. Secunda Regula quantum ad sententiam suam vera est, sed Dialectici in designandis modis errare videntur, cùm modum *impossibile* semper velint esse vniuersalem; *Possibile* verò semper particularem; non animaduertentes, an eodem modo se habeant in materia necessaria, atq; in cōtingenti. Nam quando necessariæ materiæ iunguntur, in modo *Possibile* violatur lex recepta subalternarum, quárum si vniuersalis vera est, particularis etiam debet esse vera, in hoc autem exemplo, *Impossibile est quoddam animal non esse hominem*, & *Possibile est Omne animal esse hominem*, cùm Vniuer-

salis

salis (intelligo *vniuersalem* modalem, quæ secundum modum vniuersalis iudicatur) vera sit, particularis est falsa, quod non aliunde prouenit, nisi, quod modus *Possibile* in materia necessaria dicatur esse particularis. In modis autem *Non possibile & Impossibile*, violatur lex contrariarum, quæ in hoc exemplo erunt simul veræ: *Impossibile est omne animal esse hominem*, *Impossibile est quoddam animal non esse hominem*, quæ iuxta quintam regulam contrariæ sunt, vtraq; autem est manifestè vera, quod prouenit ex eo, quòd modus *Impossibile* in materia necessaria vniuersalis dicatur.

28. Tertia Regula nimis arctat facultatem modorum *Contingens & Possibile*, cum in propria significatione materiæ contingenti iunguntur. Ad horum enim Oppositionem *contradicentem*, etiam *dicta subalternè opposita* sufficiunt: nec maius incommodum hinc est timendum, quàm si *dicta* sint eadem, quod regula requirebat.

29 Quarta Regula sæpe deficit, quando *dicta* sunt *contradicentia*, vt apparet hoc exemplo.

1.	2.
Necesse est Omne animal esse hominem.	*Necesse est aliquod anim: non esse hom.*
3.	4.
Nonnec: est aliquod anim. non esse hom	*Nonnecesse est Omn: anim: esse hominē*

In quo secunda propositio, quæ iuxta hanc regulam est primæ propositioni contraria, vera est simul cùm tertia, cui iuxta regulam Secundã & Tertiam est contradictoria.

30 In Quinta Regula, Si modi *Possibile & Contingens* propriè sumpti materiæ contingenti iungantur, possunt sine periculo admittere *dicta contraria*: Si autem modi *Possibile & Impossibile* iungantur necessariæ materiæ, nec *cõtradicentia* nec *subcontraria dicta* sine periculo peruertẽdi leges oppositarum propositionum admittere possunt; nam in hoc exemplo.

1.	2.
Impossibile est Omn: animal esse hominē.	*Impossibi-est quodd: anim: nõ esse hom.*
3.	4.
Non impossi: est quodd: anim: nõ esse ho.	*Non impossib: est Omne ani: esse hom.*

Prima

Prima & secunda contrariæ sunt, iuxta regulam secundam & hanc quintam; & tamen vera vtraq; & tertia, quæ secundæ contradictoriè opponitur iuxta regulam secundam & tertiam, vera quoq; est. In hoc verò exemplo.

1. 2.
Non possibile est quoddã Anim: esse hom. Nõ possib: est quod: anim: non esse hom.

3. 4.
Possibile est quoddã animal non esse hominẽ. Possibile est quoddã animal esse homĩ.

Omnes propositiones sunt veræ, & tamen iuxta regulas supra assignatas, *Contrariè, Subcontrariè, subalternè, & Contradictoriè* opponuntur.

31. Sed negabit quis forte, in postremo exemplo esse veram oppositionem; quòd non videatur esse eiusdem de eodem, cùm singulæ propositiones vt veræ sint, de diuersis intelligantur. Sed frustrà id obijcitur in Aristotelis doctrina, qui in 1. perihe r. c. 6. sic loquitur: *Quocirca has quidem, idest* contrarias, *impossibile est simul esse veras. His vero oppositas contingit aliquando in EODEM simul esse veras: vt, Non omnis Homo albus est, & Aliquis homo albus est* Ex qua doctrina & exemplo satis constat *subcontrarias*, & has omnes propositiones, quarum dicta *subcontrariè* duntaxat opponuntur, licet veræ non sint, nisi de diuersis intelligantur, de *eodem* tamen esse, ideoq; *oppositas*.

32. Sententiæ Aristotelis suffragatur Dialecticorum doctrina, qua dicunt, *istarum enuntiationum subiecta, Vniuoca esse, sed vaga, & quæ vniuoca sunt, vnum formale significatum habere, & circa idem esse: quæ verò vaga sunt, & descensu disiunctiuo explicantur, nunc verificari in hoc, nunc in alio.* Et quantumuis per descensum propositiones singulares multiplicentur: *subiectum tamen illud semper vnum & idem manere; vnumq; & idem Vniuocum significatum, rationecuius sit oppositio, semper retinere.*

33. Sed alij, quod videant *regulas in propositionibus indirectis deficere* (quod in exemplis à nobis positis apparet) eas pro solis *directis* traditas existimant: Sed frustrà. Nam vt *regulæ vniuersales* sunt, ita etiam *indirectis* propositionibus sunt aptandæ:

tandæ: idq; haud obſcurè oſtendit regula quarta, qua propoſitiones contrariæ, ſubcontrariæ, & ſubalternæ in modo *Neceſſe* prohibentur habere *dicta ſubcontraria*: ne contrariæ & contradictoriæ ſimul veræ inueniantur. Quod periculum fruſtrà timeretur, ſi *directis* tantùm propoſitionibus regula deſeruiret; in *indirectis* autē id facilè apparet. in his propoſitionibus: *Neceſſe eſt quoddam Animal eſſe hominem. Neceſſe eſt quoddam Anim. non eſſe hominem. Nonneceſſe eſt quoddā animal non eſſe hom. Nonneceſſe eſt quoddam animal eſſe hom:* quæ omnes veræ ſunt: ſed quod *dicta ſubcontrariè* tantùm opponantur, negat illa regula aſſignari in illis benè oppoſitionem. Non eſt igitur, cur *generales regulæ* ad *ſolas directas* propoſitiones contrahātur.

34. Ex his, quæ hactenùs diximus, ſatis apparet, quàm ſit parum ſolida Dialecticorum de *Modalium Æquipollentia,& oppoſitione* doctrina. Vt igitur ſolidius aliquid, certiuſq; ſtatuatur, diſſoluenda omnino cenſemus antiqua illa *Quadrata*, in quibus *quaternæ modales propoſitiones* pro modorum numero nectebantur. Neq; enim modi illi *Impoßibile & Neceſſe* in materia neceſſaria æquipollere ſibi aliqua ratione poſſunt: Nec modus *Contingens* materiæ vlli neceſſariæ coniungi, niſi oppoſitionum leges paſſim violari velimus. Deniq; ſuperiùs oſtendimus incommodum, quod ex æquipollentiarum regula oriebatur.

35. Separandæ igitur ſunt inprimis enunciationes, tum propter ſignificationem modorum; tum propter materiæ, cui iunguntur diuerſitatem. Sicut enim modus *Neceſſe* non iungitur verè *Dicto*, cuius prædicatum non inſit ſubiecto neceſſariò: ſic nec *Contingens*, niſi inſit *contingenter*. Modus verò *Poßibile*, cùm vtramq; materiam ſequatur, eius regulæ accomodetur neceſſe eſt, cuius materiam ſequitur. Illud tamen obſeruandum, vt, cùm Poſſibile iungitur materiæ neceſſariæ duntaxat, habeat *quantitatem vniuerſalem*: *Impoßibile* verò eidem materiæ iunctum, *particularem*: vt vice verſa, hic ſubcontrarijs, ille verò Contrarijs deſeruiat.

Pro

36. Pro oppositionibus igitur modi *Necesse* hæc erit solida regula; vt *Contrariæ, Subcontrariæ, & subalternæ* habeant tantùm dicta cõtraria: *Contradicentes* idem omnino *dictũ* (quam etiam regulam sequuntur oppositiones modi *Possibile*, cùm necessariæ materiæ coniungitur, cum obseruatione in proxima superiore assertione posita.) Pro oppositionibus verò de *Contingenti* hæc erit regula; vt ad *Contrarias, Subcontrarias, & Subalternas, Dicta* sint *Contraria vel contradicentia vel Subcontraria*; ad *Contradicentes* idem omnino *Dictum*, vel *subalternè* oppositum.

37. Pro *AEquipollentijs* verò, vt incommodum supradictum vitemus, hanc statuimus regulam; vt singulæ propositiones vnius modi oppositæ sibi æquipolleant, addita negatione ad præscriptum illius recepti versus: Præ contradic, post contra, præpostq; subalter. ita tamen, vt in *Contradicentibus* & *Subalternis* negatio præponatur ipsi *modo*; in *contrarijs* verò, *Subcontrarijs* & *Subalternis* ponatur ad *Copulam* verbalem *Dicti*, quæ regula omnibus *Modis* est communis, excepto *Contingenti*, quando *dicta* sunt inæqualia; tunc enim in *Contrarijs* & *Subcontrarijs* negatio præponitur signo *Dicti*, in *Contradicentibus* vna *Modo* ipsi, altera *Signo Dicti*, in *Subalternis*, vna præponitur *Modo*, altera *Signo Dicti*, tertia *Copulæ* verbali eiusdem *Dicti*: in omnibus his abstinemus ab exemplis, quod facilè illa cuiq; occurrant.

38. Etsi verò prædictis regulis omnem omnino illam veterum *AEquipollentiam* tollimus: non tamen negamus aliquem esse ordinem inter propositiones diuersorum *Modorum*, quo sese mutuò consequantur, cùm & Oratores, & Vulgus ipsum naturæ quasi instinctu ita loquantur. Sed ne decipi contingat, declaratione & limitatione aliqua opus est.

39. Primùm quidem: *Contingens & Possibile*, inter se & in propria *Contingentis* acceptione, in veteri suo vsu remanent.

Secundò, si respicias tantùm modos ex *Necesse esse, & Contingenti esse*, vi formæ sequitur & *Posse esse & Nonnecesse non esse*.

Et ex *necesse non esse & Contingenti non esse*, item vi formæ sequitur *Possibile non esse*, & *Nonnecesse esse*. Sed non ècontra. Quod facilè est experiri in materia contingenti & necessaria. Ex quibus manifestè colligitur, non omnia sibi æquipollere quorum vnum ex alio sequitur.

Tertiò, *Necesse non esse & Impossibile esse*, item *Necesse esse & Impossibile non esse* inuicem reciprocantur. Item si *Possibile* accipias quatenus distinguitur contra *Contingens* propriè acceptũ, etiam reciprocabuntur inter se *Posse esse*, & *Nonnecesse non esse*: nec non, *Posse non esse & Nonnecesse esse*. Sed id quidem tantum in materia necessaria.

Quartò, Si & *Modos & Dicta* (seruato ordine modorum) respiciamus siue dictum antecedentis propositionis sit vniuersale, siue particulare; ex eo non poterit vi formæ sequi, nisi propositio de *Dicto* particulari, opposito priori *Dicto* secundum affirmationem vel negationem: vt,

Impossibi. est Omn: Anim: esse hom ergo Necesse est quoddã anim: nõ esse hom.
Impossib: est quoddã anim esse hom. ergo Necesse est quoddã anim. nõ esse hom.
Impossib. est Nullũ Anim: esse homi. ergo Necesse est quoddã animal esse homi.
Impossib est quod: anim: nõ esse hom. ergo Necesse quoddã animal esse hominẽ.
Necesse est Omn. homi: esse animal. ergo Impossibi est aliquẽ hom: non esse ani.
Necesse est aliquẽ hom: esse animal ergo Impossibi: est aliquẽ hom non esse anim.

40. Et sic de cæteris. Dixi *vi formæ* quia ratione materiæ, tam secundum *Modum*, quàm secundum *Dictum* sequi potest propositio æqualis quantitatis. Ex quo apparet *AEquipollentias* illas veteres, & earum regulas, vnà cum vocibus istis *Argutule, Veridica, Sumataui, Quireferunt, &, Amabimus, Edentuli, Iliace, Purpurea*, nõ seruire nisi iis propositionibus, quæ solius materiæ vi se se consequuntur.

41 Sed vt quarto huic dicto lux maior accedat, obseruandum est primò, propositiones *necessarias vel impossibiles directas, necessarias ita vel impossibiles esse vt affirmatiuarum prædicata omnibus contentis sub subiecto conueniant, negatiuarum, omnino nulli*: Ex quo fit, vt non solùm *particularis vniuersalem*, sed & *vniuersalis vniuersalem*,

 & par-

& particularem sequi possit. Nam, vt hanc propositionem, *Necesse est Omnem hominem esse animal*, manifestè sequitur illa: *ergo impossibile est aliquem hominem non esse animal*: ita hanc, *Necesse est aliquem hom. esse Animal*, sine scrupulo sequitur illa. ergo *Impossibile est Nullum hom. esse animal.*

42. Secundò, Obseruandum, *Indirectas* non esse tàm solidè *necessarias aut impossibiles* atq; directæ. Nam, etsi aliquando earum prædicata omnibus sub subiectis cōtentis, vel nulli conueniant: sæpè tamen *affirmatiuarum* (etiam veratum) prædicata non conueniunt aliquibus; & negatiuarum, conuenient: Nam huius, *Impossibile est Omne animal esse hominem* prædicatum cōuenit Petro, & huius *Impossibile est Nullum animal esse hominem*: prædicatum non conuenit Leoni, qui sub animali continetur.

43. Ex quo fit, vt pro huiusmodi *indirectis* arctior sit, quàm directis regula statuenda, etsi enim particularis liberè possit vniuersalem & particularem sequi; Vniuersalis tamen nec vniuersalem quidem, sine periculo colligendi consequens falsum ex vero antecedente, sequi poterit. Cùm igitur tam in propositionibus *directis*, quàm *indirectis*, *particularis* non *vniuersalem tantùm*, sed & *particularem*, semper sequatur; *vniuersalis* autem etsi propter directarum solidissimam necessitatem possit in illis etiam *particularem* sequi, in alijs autem nec *vniuersalem* quidem possit sine periculo: non potest alia communis omnibus his propositionibus regula statui, nisi quam in quarto dicto insinuauimus; hoc est, *ad solidè & securè colligendas modales propositiones diuersorum Modorum, præterquàm quod Modus vnus ex alio colligatur, debere Dicta Consequentium esse particularia, & Dictis Antecedentium secundum affirmationem vel negationem opposita.*

DE CONVERSIONE.

44. Ad Conuersionem *Modalium* propositionum solùm *Dictorum* rationem habendam statuunt Dialectici: *Modum* enim

enim (siue in initio, siue in fine ponatur) semper prædicati locum tenere: quare *Modalium Conuersionem absolutarum Enuntiationum rationem* sequi decernunt ex ipso Arist. 1. Prior. c. 3. à qua lege solùm excipit ipse Arist. ibi. Vniuersales negatiuas *Modi Contingentis* propriè sumpti, in quarum locum statuit particulares negatiuas eiusdem modi, quas vult conuerti in seipsas, ad instar particularium affirmatiuarum absolutarum.

45 Ad cuius doctrinæ examen præmittimus fundamētum ab omnibus Dialecticis receptum: *Absolutos* terminos vnicum habere significatum, siue subiiciantur siue prædicentur; *Connotatiuos* duo, *formale* scilicet & *materiale*, qui, dum prædicantur, pro *formali*, dum subiiciuntur pro *materiali* vsurpentur. Cui fundamento etiam illa Dialecticorum regula de *Appellationibus* suffragatur, quæ habet; *dictionem sequentem, quæ appellat præcedentem habentem materiale significatum, illud appellare.* Iuxta quod fundamentum, si conuersa sit propositio, cuius prædicatum sit *connotatiuum*, satis in primis apparet cùm illud fiet subiectum propositionis conuertentis, accipiendum pro eo subiecto. cui *formale* ipsius prædicati inerat: facileq; futurum, vt *formale* illud *significatum*, sit illi subiecto contingens quod tamen subiectum non contingens sit materiali prædicati significato, sed necessariū, etsi enim *accidit grammaticum esse*, non tamen *Grammatico accidit esse hominem*; cùm materiale Grammatici significatum aliud esse non possit, quàm homo.

46. Iam igitur Dialecticorum doctrinam satis tutam non esse in his exemplis apparet: *Necesse est Omnem Grammaticum esse hominem: ergo Necesse est aliquem hominem esse Grammaticum. Impossibile est Omne animal esse hominem. ergo Impossibile est quendam hominem esse Animal. Contingens est quendam hominem esse Grammaticum ergo Contingens est quendam Grmmmaticum esse hominem. Contingens est quēdam hominem non esse Grammaticum, ergo Cotingens est quendam Grammaticum non esse hominem.*

In quibus exemplis, dum seruatur Dialecticorum do-

 ctrina,

ctrina apparet *Conuersas* esse veras & *Conuertentes falsas* siue *Antecedentia* in illis esse vera & *Consequentia* falsa.

47. Sed varijs interpretationibus & appendicibus Aristotelis regulas tueri conantur Dialectici: Alij enim de ijs propositionibus intelligendas censent, quæ si *Modum Necesse* habeant, vtrumq; terminum eiusdem necessitatis habent, Animal v. g rationale, homo, risibile &c. Si modum *Contingens*, similiter vtrumq; terminum eiusdem conditionis habeant, quales termini in quinto solùm prædicabili reperiuntur. Qui sanè, vt errorem excusant, ita longissimè ab Aristotelis mente recedunt, cuius pro sua doctrina exempla c. 3 lib pri. hanc interpretationem non admittunt. Nam pro vniuersali negatiua de *Contingenti* (quod pro Nonnecesse accipit) exemplum ponit de *Tunica & Albo*, quæ non esse eiusdem conditionis statim apparet; cùm *Tunica in Quid, Album in Quale* prædicetur. In sequentibus similiter capitibus pro Syllogismis de *Contingenti* talia adhibet exempla, quæ hanc interpretationem planè reijciunt. Nam c. 14. pro prima figura adhibet exempla, *Animal, mouens, homo; Coruus, Intelligens, homo*: & passim etiam pro alijs figuris similia, quæ varios omnino continent terminos. Cùm autem secunda & tertia figura per propositionum conuersionem ad primam reduci debeant, necesse est Aristotelis doctrinam, iuxta illius mentem, varijs terminis seruire.

48. Alij dicunt, terminos in eodem sensu sumendos, & sic vitari incommoda, quæ aliâs sequerentur: v. g. sicut *contingens est hominem esse grammaticum*, ita esse *Contingens grammaticum esse hominem*.

Sed dicant, quæso illi, ex *conuersáne* an ex *conuertente* sensus iste sit accipiendus? Si ex *conuersa*, (cùm illa cõtingens sit & vera) *conuertens* quoq; & contingens esset & vera; quod falsum esse constat ex fundamento. Si ex *conuertente*: in primis, cùm illa sit falsa, efficeret *conuersam* falsam: Deinde; cùm sit necessaria, etiam *conuersa* esset necessaria; & ita

exemplum

exemplum potiùs seruiret conuersioni *Necessarij*, quàm *Contingentis*. Quare in alterum incidant, est necesse; aut errare eos in exemplo, dum necessarium ponunt pro contingenti: aut quòd ex ea regula inferatur falsum ex verò. primum non decet peritum Dialecticum; secundum eneruat doctrinæ certitudinem.

49. Alij deniq; proximis suppetias ferentes exemplum magis declarant: vt enim, inquiunt, *Contingens est hominem esse grammaticum* ita Contingens esse posse, *grammaticum esse hominem*: quia hic homo, inquiunt, non esset grammaticus, nisi in ipso Grammatica poneretur, quod vtiq; fit contingenter. Sententia causæ sanè verissima est, sed illius effectus, vt causa sit, fieri non potest. Efficit quidem vt *Grammatica contingenter connotet hominem*, sed non facit *grammaticum contingenter subijci homini* *Grammaticus* enim, cùm subijcitur, non pro accidente, sed pro accidentis subiecto ponitur, quo fit, vt sicut falsa est hæc propositio, *Contingens est Donatum esse hominem*; ita falsa hæc sit, *Contingens est quendam grammaticum esse hominem*. Sicut enim illa simpliciter est necessaria, ità & hæc: hoc tantùm differentes, quòd in illa subiectum definitè sumitur, hîc vero indefinitè seu vagè.

50. Cùm igitur nullum superesse videatur effugium, quo hactenus tradita de *Conuersione Modalium* doctrina pro solida habeatur; hac ratione illam restitui existimamus. Si inprimis *Dictorum* termini eiusdem sint conditionis cum modo illis adiuncto, vt vterq;, inquam, sit necessarius, vel vterq; contingens. Deinde, si in *conuersione* propositionum de *impossibili*, prædicatio *Dicti* in propositione *conuersa* sit directa. Sic enim facilè euademus scopulos, quos in alia doctrina euadere non potuimus.

QVO PACTO MODALES ENVNTIATIONES CONFICIENDIS Syllogismis deseruiant.

Sicut

51. Sicut ad *conuersiones modalium* propositionum, solius *Dicti* ratio habetur, ita ad Syllogismos conficiendos: quare & quantitas & qualitas ad syllogismorum formam requisitæ, ex *Dictis propositionum modalium* ita sunt petendæ, atq; si propositiones essent absolutæ.

52. Incipiens igitur Aristoteles docere qua ratione syllogismi ex Modalibus propositionibus conficiantur in prima figura hanc statuit regulam cap. 8. & 9. lib. 1. prior. *Si vtraq; premissarum, vel etiam si sola maior sit de Necesse colligi conclusionem de Necesse.* Quæ doctrina, vt pro quatuor directis modis certa est; ita pro indirectis non est solida, nam facilè sequeretur *conclusio falsa ex veris præmissis*, vt patet in hoc exemplo: *Necesse est Omne animal rationale esse hominem; necesse est Omnem grammaticum esse animal rationale; ergo necesse est aliquem hominem esse grammaticum.*

53. In 11. cap. duas statuit regulas pro tertia figura: *si* inquit. *vtraq; præmissarum vniuersalis sit affirmatiua, vtralibet fuerit de Necesse, conclusio erit de necesse.* Deinde, *si vtraq; etiam affirmatiua sit, & altera particularis; si vniuersalis sit de Necesse, conclusio etiam erit de Necesse.* Sed neutra regula est firma. Ecce enim: in Darapti, *Omnis Aethyops est niger, Necesse est Omnem Aethyopem esse hominem, ergo necesse est aliquem hominem esse nigrum.* Etsi ex maiore facias particularem, eisdem terminis concludetur in *Disamis* cōclusio falsa ex veris præmissis.

54. In cap. 13 statuitur: *conclusionem futuram de Contingenti in prima figura, si vtraq; præmissarum sit Contingens*: In 14. idem futurū, *si maior sit de Contingenti & minor de necesse*: In 15 idem esse futurū, *si Maior sit de Contingenti & minor de necesse.* Sed omnes hæ regulæ deficiunt in modis indirectis, quotiescunq; minus extremum fuerit necessarium. Nam in his exemplis: *Contingens est Omne dulce esse album, Contingens est Omne lac esse dulce, ergo Contingens est quoddam album esse lac.* item *Contingens est Omne animal loco moueri, necesse est Omnem hominem esse animal; ergo Contingens est quoddam loco motum esse hominem:* Conclusio est falsa cum subiectum eius non aliter, quàm materialiter sumi debeat, qua

ratione

ratione prædicatum necessariò dicitur de illo, non contingenter.

55 Similiter cap: 14. ad initium; *si maior*, inquit, *in prima figura est de inesse, & minor de Contingenti, Conclusio erit non de Contingenti propriè, sed de Nonnecesse esse.* Sed ecce Syllogismus secundum regulam; *Omne album est Corpus, Contingens est Omnem hominem esse album, ergo Contingens: hoc est, Nonnecesse est Omnem hominem esse corpus.* Nonne præmissæ veræ? nonne conclusio falsa?

56 Cap. 17 statuitur: *in secunda figura fore bonum syllogismum, quando affirmatiua sit de Contingenti, & Negatiua de inesse.* Sed nec absoluta nec de modo sequetur conclusio. quid igitur? *Contingens est Omnem lapidem esse album, Nullus Rubinus est albus; ergo Nullus Rubinus est lapis? aut Contingit? aut Necesse est?*

57. Cap: 18 docetur *in secunda figura ex Contingenti affirmatiua, & vniuersali negatiua de Necesse, sequi conclusionem, vel de inesse, vel de contingenti.* Sed si de *contingenti* inferas conclusionem, ecce cōclusionem falsam ex veris præmissis: *Contingens est Omnem hominem esse album, Necesse est Nullum Angelum esse album, ergo Cōtingens est Nullum Angelum esse hominem*: conclusionis enim *Dictum* est necessarium, falsè ergo dicitur *Contingens.*

58. Id quoq; quod cap: 20: docetur: *in tertia figura, ex altera de inesse, & altera de Contingenti, colligi conclusionem de Contingenti,* subiacet incommodo: Nam *Omnis homo est animal, Contingit omnem hominem esse grammaticum*, sed falsum est contingere quendam grammaticum esse animal, cùm id necessarium esse ex superioribus sit manifestum.

59. Deniq; duo illa, quæ 21. cap: statuuntur incerta sunt quoq; Primùm: *in tertia figura, si vtraq; affirmatiua sit, & vna de Necesse, altera de Contingenti, sequi semper conclusionem de Contingenti.* Secundum: *in eadem figura; si negatiua sit necessaria, & affirmatiua Contingens, conclusionem inferri de Contingenti.* Ecce enim exempla. *Necesse est Omnem hominem esse animal, Contingit Omnem hominem esse album; ergo Contingit quoddam album esse animal.* Item, *Necesse est Nullum hominem esse lapidem, contingit Omnem hominem esse album, er-*

go *contingit quoddam album non esse lapidem.* Nonne conclusiones falsæ sunt? at præmissæ veræ: Doctrina itaque suspecta & incerta.

60. Sed fortè quis imponi à nobis Aristoteli existimabit quod sæpe is vsurpet *Contingens impropriè* nos autem, quasi *propriè* semper vsurpet, accepisse in exemplis. Sed cùm multa nos ab hac nota liberent, illud est magis ad rem, quod licet aliquando vsurpet Aristoteles *Contingens impropriè*, in locis tamen, quæ improbauimus nostris exemplis, *propriè* semper vsurpauerit, vt consideranti statim apparebit. Videantur etiam, quæ supra num: 51. diximus, nam & tunc aliquid defuit, quòd *Contingens impropriè* fuit acceptũ, Et deniq;, siue Aristoteles accipiat *Contingens propriè* seu pro *Possibili*, siue *impropriè*, hoc est pro *Non necesse*; semper illud accipit, et significat posse esse & non esse, vt supra ostensum est n. 20. 21 & 22

61 Manifestata igitur doctrinæ Aristotelicæ imbecillitate certius fortè aliquid de eadem re statuetur, si reijciamus inprimis modos, qui Syllogismis seruire non posse videntur: Omnes inquam negatiuos *Impossibile, Nonpossibile, Non contingens, Nonnecesse*; imò & ipsum *Necesse & Contingens* quãdo ita proferuntur: *Necesse non est esse, Contingens non est esse: vel Necesse non est non esse, Contingens non est non esse*: quòd nihil solidè & sine periculo euertendi totam vim formalis consecutionis ex illis colligi posse videatur: vg:

Bar Impossibile est omne animal esse lapidem.
ba Impossibile est Omnem Saphirum esse animal
ra. ergo Impossibile est Omnem Saphirum esse lapidem.
Ce Impossibile est Nullum hominem esse animal.
la Impossibile est Omnem Saphirum esse hominem.
rent, ergo Impossibile est Nullum Saphirum esse Animal.

A pluribus exemplis abstinemus; quòd, cùm duo isti primæ figuræ modi sint præcipui, & per quos reliqui iuxta ipsius Arist doctrinam probari debeant: etiamsi in alijs error non contingeret; (qui tamen continget frequenter)

ter) contra negantes tamen illorum consecutiones, nihil proficeret disputans, cui horum modorum refugium esset ablatum.

62. Duo itaq; modi ad Syllogismorum constructionem vsui esse possunt, *Necesse est, & Contingens est*: Nam *Possibile est*, etiamsi necessariæ materiæ & contingenti coniungi possit; ne tamen confusionem nobis pariat, ommitendus potiùs videtur: nam proprij modi aptiores istis duabus materijs sunt. Pro his itaq; duobus hæ certæ regulæ statui posse videntur.

Prima *Regula* pro directis modis primæ figuræ: *Si maior propositio habeat alterutrum ex duobus his modis* (siue minor sit de inesse, siue alterutrum modum habeat) *conclusio poterit habere modum maioris: Quod si minor sola modum habeat, nullius modi conclusio poterit vi formæ colligi.*

Secunda *Regula: In modis indirectis eiusdem primæ figuræ* (siue vtraq;, siue altera tantum præmissarum fuerit de modo) (*nulla modalis conclusio vi formæ inferetur; sed tantùm de inesse*: cùm ex vtraq; de necesse inferri contingat de contingenti tantùm; & contra, ex vtraq; de Contingenti, Necessaria. vg.

Necesse est Omnem hominem esse animal
Necesse est Omnem Grammaticum esse hominem.
& tamen Contingens est quoddā animal esse Grammaticum.
Item.
Contingens est Omnem Grammaticum esse Philosophum.
Contingens est Omnem hominem esse Grammaticum.
& tamen Necesse est quendā Philosophum esse hominem.

Tertia *Regula: In secunda figura nunquam debet inferri conclusio de modo, nisi negatiua fuerit de modo. De contingenti verò nunquam inferetur, nisi preterea vterq; maiorū terminus fuerit contingens.*

Quarta *Regula: In tertia figura de quo modo vera est maior, de eodem sequi potest conclusio.*

Quinta: *Nullus modalis imperfectus Syllogismus per ostensionem probari potest, nisi ea propositio, quæ est conuertenda, ex terminis eiusdem conditionis confluerit*, vt suprà explicatum est de *Conuersionibus*. Nam,

si propositio talis non sit; etsi imperfectus ipse Syllogismus sit bonus; perfectus tamen colligeret ex falso tum verum tum falsum, seruatis iisdem terminis, quod negantem imperfecti vim non conuinceret. *Reductiones* autem fient iuxta normam absolutorum Syllogismorum.

Sexta *Regula*: *Omnes Omnino Syllogismi imperfecti modales probari possunt deducendo ad incommodum.* Verùm non (vt plerisq; hactenus videbatur) accipiendo contradicentes Conclusionum secundum normam communem in oppositionibus modalium traditam, secundum quam si in secunda figura concluderetur hæc: *Necesse est Nullum hominem esse lapidem*; vel in tertia hæc, *Necesse est aliquem hominem esse animal*: prioris contradicens esset: *Nonnecesse est Nullum hominem esse lapidem*: posterioris, *Nonnecesse est aliquem hominē esse animal*: non, inquam, tales oppositæ sunt sumendæ; quia nulla posset fieri reductio. Si enim reducas *Cesare* ad primam figuram, fiet modus ex puris negatiuis: si *Datisi* fiet modus ex puris particularibus, quorum neuter in ulla figura receptus est. Quare ad hanc reductionem illæ contradicentes accipi debent quæ tantùm secundum dictum, iuxta formam absolutarum enuntiationum opponantur, modo inuariato prorsus, vt, si, *Necesse est Nullum hominem esse lapidem*, negetur: accipiatur hæc, *Necesse est aliquem hominem esse lapidem.* Si negetur, *Necesse est aliquem hominem esse animal*; accipiatur hæc contradicens, *Necesse est Nullum hominem esse animal.* &c. Quibus regulis seruatis, totam *Modalium Syllogismorum* fabricam inconcussam futuram arbitramur.

DE DEMONSTRATIONE.

Aristo: 1. c. 23. 63. Varijs modis *Demonstratio* diuiditur; nam & *Vniuersalis est & particularis*; *Affirmatiua & Negatiua*; *Ostensiua & ducens ad impossibile.* *Vniuersalis* illa est, in qua *ea passio subiecto inesse demonstratur, cui ita vniuersaliter conuenit, vt nulli prius quàm ipsi* (quod est secundum quod

quod ipsum) *conueniat; & omnibus tamen sub eo contentis cõmunicetur.*

64. *Particularis* dicitur, *non quòd ex particularibus propositionibus conslet, sed quòd talem demonstrat passionem, quæ vel non omnibus sub subiecto contentis, vel alijs etiam conuenit*: quòd scilicet priùs alicui, quàm subiecto ipsi conuenit; siue superiori, siue inferiori. Nam in posterioribus libris non quæuis passio cõmunis dicitur vniuersalis, nisi quæ primo subiecto conuenit & cum ipso reciprocatur. ibid.

65. a *Affirmatiua est, quæ affirmatiuè: negatiua quæ negatiuè concludit.* b *Ostẽsiua est, quæ concludit id, quod est esse vel id quod nõ est non esse.* b *Ducens ad impossibile est, quæ principium, quo ostensiua nitebatur, probat deducendo negantem ad incommodum*; non tamen eo modo, quo negantes Syllogismos, ad incommodum deducuntur. Illi enim, qui negãt formã Syllogismi, coguntur per deductionem, aut negatã formam, aut impossibile aliquod admittere: hi verò, non formam *Demonstrationis* nec cõclusionem, sed aliquod principiũ negant; cuius cõtrarium accipiens Demonstrator, pristina minore suo loco retenta infert contrarium conclusionis concessæ. a. 1. post. c. 21. b. 1. post. c. 26.

66. c *Ostensiua duplex est*: alia *Quia*; alia *Propter quid.* *Demonstratio Quia est quæ vel per effectum* (quod dicitur à posteriori) *vel per causam* sed remotam, *concludit.* d. *Demonstratio Propter quid, est Syllogismus faciens scire.* e *Scire autem est rem per causam cognoscere*; ita tamen, vt simul sciatur, talem causam illius effectus esse causam, eamq; necessariam, & quam non contingit aliter se habere. c. 1. post. c. 10. d. 1. post. c. 2. e. ibid.

67. In qua *Demonstratione* non quiduis *demonstratur*, sed *complexum duntaxat*; nec id omne, sed illud solum, *quod causam habet*, quales sunt illæ solæ propositiones, in quibus propria passio de subiecto prædicatur. Etsi verò quandoq; aliqua propositio, in qua causa de subiecto prædicatur, per aliud genus causæ demonstretur: tamen eiusmodi demonstratio non est veluti causæ per causam, sed veluti cuiusdam necessariæ propositionis per causam demonstra-

tio, donec causa quæ demonstratur eius causa esse innotescat: Nam si eius causa esse sciretur, ita per se nota, indemonstrabilisq; esset, atq; illa, per quam dicitur demonstrari.

68. Hinc manifestatur *Habituum Intellectus* distinctio, cùm enim multa sint, quæ non sciuntur *habitu, qui est per causam*, sciuntur tamen, igitur alio habitu sciantur oportet, quem vocant *Habitum seu Intellectum principiorum, qui tam incomplexa quàm complexa omnia, quæ per aliud non demonstrantur, clarissimo suo intuitu cognoscit.*

69. Est autem inter hunc principiorum habitum, & eum, qui est per causam, & propriè Scientiæ nomine appellatur, alius medius, qui dicitur *Sapientia, quæ non est habitus per altissimas causas duntaxat*, vt quibusdam placet: (nam scire perquascunq; causas ad habitum propriè dictæ scientiæ simpliciter pertinet) *sed etiam est eorum qui solo intellectu, siue per proprias causas cognoscuntur*, qua de causa medius dici potest. Cuius rei dignissimum testimonium, Arist. lib. *I.* Magn. moral. c. 33 præbet, cùm ita inquit; *Sapientia porrò ex Scientia,*
" *Menteq; constituitur, est namq; Sapientia circa principia. ipsa quoq; mentis*
" *particeps. at quatenus circa ea, quæ post principia sunt, cum Demonstratio-*
" *ne scientia est particeps, &c. proinde circa ea versabitur, circa quæ Mens atq;*
" *Scientia* ita Aristo:

Arist. 1. post. c. 2. 70. *Scientia* igitur propriè sumpta, *quæ fit per Demonstrationem* (atq; adeò ipsa Demonstratio) *debet esse per causam, quæ est prima, immediata, notior, priorq; naturâ, effectu*, qui per Demonstrationem subiecto inesse concluditur. *Prima & immediata est, quæ non est alia prior*, quæ est ipsa subiecti essentia per definitionem explicata. Hæc enim & indemonstrabilis est, & naturâ prior, notiorq; omnibus effectis seu passionibus subiecti quæ ex ipsa promanant.

1. post. c. 6. 71. Ex hoc consequitur, *Demonstrationem esse ex propositionibus necessarijs & per se*, tam quoad conclusionem, quàm quoad præmissas. *Ex necessarijs* quidem, quia non fortuita, sed ne-
cessaria

cessaria sciuntur; conclusio igitur necessaria esse debet, quæ cùm sciatur propter principia, illa quoq; necessaria esse debetn.

72. Quod autem eadem *Demonstratio* sit ex propositionibus *per se*, etiam manifestum est. Nam *Esse*, quod per definitionem explicatur, & *id cuius est Esse*, (quod est subiectum) *per se primò ad se dicunt ordinem*. *Propria item Passio secundo modo per se subiectum respicit*; quippe quæ ex ipsa essentia subiecti profluit. Deniq; & *illa* quæ Arist: 1. post c. 4. quarto loco recenset, *per se* quoq; sunt, ita enim se respiciunt, vt vnum sit proprius effectus, alterum propria causa: talia verò sunt *propria subiecti passio* & *subiecti essentia*, quæ per definitionem explicatur. Ex quibus duobus (definitione scilicet & propria subiecti passione) *confici solet Maior Demonstrationis propositio*: *Minor verò ex ijs, quæ sunt in primo modo per se*, hoc est, in qua definitio de ipso definito prædicatur. *Conclusio tandem est ex ijs, quæ sunt secundo modo per se*, in qua passio de proprio subiecto prædicatur. 1 post. c. 4.

73. Quod verò *Scientia* non nisi Vniuersalium esse putatur, id quidem de *Totali* est verissimum, sed ut *Partialis*, quæ est singularum conclusionum, applicetur, adeò certum non videtur. Nam si quid huic Scientiæ posset officere, id esset vel rerum singularitas, vel corruptibilitas, vel demùm defectus causæ, quasi singulares passiones, singularium subiectorum causis carerent. Non primùm: cùm *Intellectus*, qui Scientiæ Habitu cognoscit & agit, *non solùm Vniuersalia, sed etiam singularia apprehendat & cognoscat*. Non secundum; cum *singularia non veniant in Intellectum iuxta suas conditiones indiuiduantes Physicas*, secundùm quas corruptibilia sunt; *sed secundum Metaphysicas*, secundùm quas ad statum Intellectiuum eleuata & in Prædicamentis collocata, nullis corruptionibus sunt obnoxia, quo fit, vt hucusq; verum sit dicere, *Adamus est primus homo*, *Adamus est risibilis*: quantumuis enim Adamus Physicè mortuus sit, Metaphysicè tamen incor-

Incorruptibilis perseuerat. Non tertium, *cum nulla passio sine causa subiecto adueniat* cognita igitur causa, quod impossibile non est, vtiq; *singularis passio de singulari subiecto non minùs, quàm Vniuersalis de Vniuersali demonstrari posse videtur.*

Ad Dei gloriam, eiusq; sanctissimæ Virginis Matris Mariae, necnon Divorvm omnium, Amen.

FINIS.

PRAGAE.
TYPIS GEORGII NIGRINI.
ANNO M. D. XCII.



